


/ Cromwell, Oliver

# Notæ historico-politicæ in vitam Oliverii Cromwellii protectoris ...



Handschrift // / 125 B 11 c Br. 1658 Cromwell Oliver

Tillkomstår 1659.

Digitaliserad år 2019



National Library  
of Sweden

Cromwell

Hist.  
Eng.  
Polit.  
(Pr.)

1658

N O T Æ  
HISTORICO-POLITICÆ  
*in vitam,*  
OLIVERII CRONWELLII,  
PROTECTORIS  
Angliæ, Scotiæ & Hyberniciæ,

*Londini A.º. cl.º. l.º. LII. editam*

*& in calce subnexam.*

Excudebat Francopoli Typogr. Reg.  
Grat. Suppl. de Lor.

---

ANNO M DC LIX.

W. O. R. E.  
L. S. J. O. R. E.  
O. W. E. I. N. C. R. O. M. B. I. L. I.  
P. A. R. I. S.  
A. L. L. E. X. A. N. D. R. E. S. C. H. A. R. T.  
C. O. M. P. O. S. I. T. O. R.  
L. I. B. R. A. R. Y.  
L. I. B. R. A. R. Y.



Initio naturæ factum, ut felicitatis nostræ æquè ac infelicitatis tædeat, novaq; sæpè tantâ aviditate amplectamur, ut nostri obliti, eis intricemur plagis, è quibus non nisi secando, milleq; animarum Lytro & urbium concidentium ruinis, totorumq; sæpè regnorum interitu & excisione, nos expedire possimus. Britanniam si quis paucis retro annis defæcatoribus oculis intuebatur, invidiam propè in sinu sibi nasci

sentiebat. Absolutiorem enim gentis quietem, commerciorum fecundio-rem proventum, ab injuriis exterorum tutiorem securitatem, (totam nempe mare ambit) mirum trium pugnacissimorum populorum in uno capite consensum, solum fecunditate & aëris clementia, nulli secundum cernere licebat: & ut multa paucis dicam, in summa firmitate & potentia vix comparanda erat animorum tranquillitas, & blanda, sed ferè semper præfaga tempestatis, malacia, & nisi propria intemperie agitari cœpissent, tuta & perpetua felicitas. Verùm ut in corporibus futili otio torpentibus noxii humores subinde succrescunt, animum paulatim obruunt & consopiant, suaq; abundantia spiritum suffocant: Ita Anglia præferocium viscerum Domina, omnium rerum affluxu quasi ebria, & Vaterno implicata, noxios humores, turbidos, egenos, quibus irrequieta omnis quies, fucos alieni laboris, & qui nullam vitæ artem noverunt, quàm quâ mors quaritur, Catholico purgante tympano tubaq; haud invito evehere neglexerat, venæsectiones spreverat, nec præservantibus remediis sibi satis prospexerat. Inde continuo corpus contrariis humoribus inflari, intumescere, in caput ebullire, vires prosterni, inq; suum interitum omnia summa pertinacia collidi, vimque medicaminis quasi ex consensu respuere cœperunt. Initium autem à suspecta Reginæ religione sumptum, quasi nullum jam amplius bellum, cui non aut causam, aut ansam, aut prætex-

tum dederit religio, geri possit. Ab illa ergo cote gens effera iras suas armabat, animosiusq; in posterum exercebat. Inde brevi in tantas exarsit flammæ, ut tota correpta Anglia nullis cruoris fluminibus extingui potuerint, usq; dum totum magnificum illud ædificium, in miserimum confedit dominatum: quæq; ipsa præesse suis rebus non potuit Libertas, tutori tanquam furiosa plus potestatis sibi in pupillam vindicanti, quàm ullus olim Rex aut severissimus Dominus in servos habuit exercuit, bonaq; pupillæ impunè deglutienti, ad extremum subjecta est. Hujus tutoris vel protectoris vitam in Anglia conscriptam, notis politicis illustrare, veritatis amore in animum induxi meum: prolixam protestationem fide de mea minimè præmissurus, cum sciam, quod nemo eam fere magis violet, quàm qui jactantius obligat. Hoc saltem peto, ne temerè accuses cibum, si stomacho forte exceptus insincero acefcat.

Cromwellius ergò memorandus: quo in viro quò video plus, eò video minus. Nihil enim majori conatu per totam vitam egit, quàm ut alius videretur, alius esset sui semper quàm dissimillimus. Protector Libertatis audiit, qui erat supplantator severissimus, pacis cupidissimus, qui minimis favillis circa regnum orientibus oleum semper pro aqua suffundebat, religiosissimus, qui religionem inter Dominatus instrumenta connumerabat, Regii nominis contemtor, qui sub Protectoris nomine plus quàm Regiè imperabat. Admiror in viro virtutes egregias, detestor vitia insignia, utraq; enim confuso quasi temperamento fuerunt in eo illustria. Jam ad ejus vitam.

#### Ad S. I.

Natum è nobili familia non negandum, sed in tenui re, jure nempe primogenituræ, maximo natu filio in Anglia sibi paterna bona vindicante, relicto admodum acciso reliquis fratribus appennagio. qui aut studiis (sæpissime aliàs Theologicis) aut commerciis, quò se honestè sustentent, dant operam. Inter quos & Cromwellius, animum necessitate coactus intra privatorum studiorum carceres coercuit. Incongruens verò laus auctoris, qui Cromwellium in Academiis experientiæ se tradidisse scribit. Experientiæ enim se velle tradere & studia negligere à vita academica longè alienissimum. Experientia apud belli Duces, consiliarios, in aulis, foris & Rebus publ. non intra pulpita literatorum

torum quærenda. Studia, scientiæ, præcepta artium & contemplationes sui ipsius: hic debet esse labor in Academiis; experientia curiis reservanda. Non tamen omninò ignarum juris fuisse, primum Parlamentum, Londini conscriptum, cum magno suo damno didicit. Morris & juris est per totam Angliam, ut mensis nomine, in omnibus contractibus, diplomatibus & rescriptis præcisè 28. dies, vel quatuor hebdomadæ contineantur. Insuper verò erat instrumento Protectorio, ut Parlamentum convocatum ultra 5. menses non duraret, sed omnes consultationes intra illum terminum finirentur. Sentiens ergo Protector quædam de restringenda ejus potentia, exaudoranda militia, regniq; cura in deliberatione esse, & mox executioni mandanda: Securos aggreditur, increpitaq; cunctatione, præterlapsum jam terminum conventus nunciat (stricta enim computatione, quinquies 28. dierum tempus transierat) cum illi mensium naturalium computatione ad minimum sibi decendum restare, quò omnia consultata subscriptioni & executioni mandanda erant, persuasi forent. Continuo ergo præsentem exercitum dissolutum Parlamentum, & per plateas distributo milite tantus metus injectus omnibus, ut ne mutire ausi fuerint. Nihil ea deliberatione omninò actum, sed obsignatis actis, omnes consultationes patuere, ex quibus in posterum consilia metiretur. Quo actu triennium (tanto enim temporis spatio Parlamentum convocare vigore instrumenti Protectorii prohibitum) lucratus, Dominatum interea non mediocriter stabilivit.

### Ad §. III.

Malè conjunguntur cognitio librorum & Scrutinium animorum, vel, uti vulgari nomine vocatur, humorum. Prius ad Theoriam, à qua abhorruisse autor dicit, spectat, licet non leve refugium & levamen sit, quoties aut memoria nos deserit, aut tempus illi excolendæ nos deficit. Alterum, si quidquam aliud, vitæ practicæ accommodatissimum & summè necessarium est instrumentum. Quemadmodum enim inter potissimos felicitatis humanæ articulos eonnumerandum, si quis à parentibus ei vitæ generi destinatur, quò ipsa natura & temperamentum inclinant. Et cibus esurienti, potus sitienti accommodatus; ita, quò natura propendet, ea maxime delectant ac nutriunt: nec refragante natura quisquam vitâ emerget in Theorica, qui practicæ

natus; promptus manu & animo, populum docendo, raro cum laude senescet; nec populus fico inserta sapos proferet fructus. Carceri mancipatos potius dicerem, si, quos natura Reges genuit, eos in tenui re, aut decernendis privatorum litibus, aut vilissimo opificio maleconsultum hominum detinet iudicium. Si ergo regnantium cuiquam Scrutinium tale contingit, illud inter arcana Regni arcanissima reponat. Hujus enim beneficio, quælibet regni negotia felicissimè expediet. Bello siquidem destinabit ferocientes, & naturâ fortes, consiliis acri iudicio præditos: officia distribuētis, quos natura inter parendum, & imperandum medios constituit, subditos quos aut servos, aut libertate abutentes genuit, esse sinet. Nunquam illi deerunt quos summis, quos infimis præficiat, nec imperantibus denegabitur obsequium, nec ita dispositis ministris, ullum subditis orietur radium. An vero illud tribuendum Cromwellio non video, præsertim ea ætate, de qua loquitur autor, qua in scholis vixit. Edeumatum summa hæc prudentia & longo usu elaboratum requirit ingenium, cui parando anni aliquot in Academia consumpti nequaquam sufficere videntur. Reliqua de iudicio & constantia armorum in bellis superioribus non naturalibus, ut auctor vocat, infra materiam dicendi dabunt,

#### Ad §. IV.

Minimè ergo disposito ad studia animo avidè quamvis barbarum auram aucupabatur, & ex clade aliena privata compendium sperabat. Quod bello civili statuum in Regem piuum, justum, & nimis quam bonum, vel potius ad simplicitatem vergentem, & otii cupidissimum commodè oblatum cum esset, non mirum rebellantium in castra eum transiisse, cum in primis, priusquam militiæ daret nomen, jam in ordinem Parlamenti inferioris receptus, contra dominum simul insurrexerit, eorumque causam defenderit, quos deserere non erat integrum. Per fortiora facinora ascendisse ad imperatorium fastigium nõ nego. saltu tamen quasi facto leviora officia transiisse testantur ejus acta. Virum prudentia & militari pariter gloria insignem fuisse, nemo nisi præfractè pertinax negabit: partas autem victorias ejus fortitudini solum adscribere, adulationis est: plerasque reportavit Fairfaxius partium dux, cum Cromwellius tribunus adhuc dum esset, & brevi antè eaprivitatem Regis tempore ejus Legatus factus. Nec ante Cromwellius

lius notus, quàm postquam Rex à Scotis captus, Anglis, Ducibus tamén exercitus Anglicani juramento prius adactis, quod & Sacra Eucharistia usu confirmarunt, nec dignitati Regiæ multò minus vitæ quicquam periculi intenturos, constituta pecunia certisque conditionibus venditus, & exercitui Parlamenti traditus. Cromwellius dehinc in custodiam acceptum Regem acerbius cum sepiret, atrociora Parlamento ejus de vita svaderet, salutem quæ Reipubl. in interitu Regis consistere sustineret, æmulus Fairfaxio tandem extitit. Qui cum Sacramenti sui memor mitiora sequeretur, sublestæ primùm fidei, dein à Parlamento ( nil nisi Sangvinem spirante ) omninò exclusus, Cromwellius quæ in Ducatu exercitus illi prælatus est. Quod consecutus nullâ interjectâ morâ auctis stipendiis, licentiâ, aliisque notis artibus adeò sibi devinxit militum animos, ut ad quævis crudelissima promptos haberet. Inde spe efferâ inflatus remoram ardentissimæ dominandi cupidinis Regem innocentissimum ad tribunal rapit; constitutoque non ex ordinariis Parlamenti membris iudicio, sed iis, quibus aut os metu insubulatum, aut qui insigni facinore vindictæ Regis obnoxii & jamdum Regium sangvinem & bona ejus spe devorabant. Ad quod sangvinarium iudicium cum bis protractus Rex modestè forum declinaret, & ut id saltem, quod infimo è Nobilitate olim non denegatum, nimirum ut coram paribus curiæ innocentiam protegere liceret, sibi concederetur, postularet, & interim responsa antè formatum ritè iudicium ad objecta crimina differret; tanquam contumax ( contra omnia jura ) ad supplicium rapitur, & eximio exereitus & imprimis ducis cum tripudio capite truncatur. Quo feroci facinore, cujus fax & tuba fuerat, Cromwellius potissimum emerfit. Utut enim spinosam politicorum distinctionem inter Majestatem Realem & Personalem suo loco reliquam, non possum tamen non hoc Regicidium inter crudelissima facinora, ad quæ posteri obstupescant, reponere. Damnatus nempe Rex ab his, qui nec Rempubl. Anglicanam referebant & ne minimum è Nobilitate lege Regni damnare poterant. Ut taceam, quòd sine causæ cognitione, bis saltem legitimis exceptionibus ( quod nec infimo ex plebe denegandum ) forum declinans, eo maxime incensore, qui Sacramento se obstrinxerat, nihil periculi vitæ ejus intenturum ultimo supplicio affectus sit. Immaniuseertè facinus vix ullum

ullum retro vidit seculum; & tamen Cromwellio maximus ad Dominatum gradus fuit.

Reliqua quæ memorat autor de Dumbaracensi victoria, fusione Scotorum exercitus, oppressione vindicis militis Regii filii, inter fortia referrem facinora, si causa justior & libertatis tuendæ sincerius fuisset propositum. Postquam autem nece Regiâ omnem sibi gratiæ spem præcisam vidit; jamdudum præmeditatum dominatum executioni mandare constituit. Quid mirum ergo si fabulam illam quæ in manu fuit, ne in cruentam sibi degeneraret Tragediam, egit quàm potuit optimè? Præsertim cum proverbio Cromwellii id fuerit convenientissimum. Familiari enim sermone sapius dicere consueverat, seruo contra Dominum semel evaginati gladium continuò abjiciendam vaginam: nulli quippe usui (perpetuitatem armorum indicans) ætatém postea futuram. Verum commotiorem fortasse bilem ex præcedentibus formidabat autor, nisi dignum patellâ reperisset operculum. Providentiam nimirum vel quod illi idem infra §. IIX. prædestinationem. Miror profecto cur quisquam unquam retro in explicatione causæ bellorum, in rebellione excusanda, in oppressione libertatis, in cædibus illustrium civium, & quicquid tandem, aut animus vindictâ æstuans, aut dominandi ardore cæcus & extra se constitutus, admisit turpius, anxius hæserit: cum illud SS. prædestinatio, cui non magis resistere possis, quàm, si præcipiti cursu de prærupta rupe deferaris, illum pro lubitu cohibere coneris, non saltem excuset, sed vel invito necessitatem imponat. Neroniana fortassis reflorescunt secula, qui quoties insigne quoddam scelus patrasset, magno apparatu Diis vota nuncupabat, quasi illorum ope & jussu admissio flagitio servatus: ita quo excusabiliora omnia, DEUM in consortium scelerum rapere non erubescit autor.

Non nego, coeptorum eventus superæ sibi vendicant potestates & Divina Nemesis ex abdita quadam æternitate omnia despectat terrena. Hæc ut Regina causarum & arbitra rerum urnam sortium temperat, accedentiumque vices alternat. Et rota quædam Imperiorum est, quæ non ab intelligentiis; Sed ab Omnipotentis dextra movetur; & cum ab hujus imperii ruinis illius gloria pendeat, suam quodque revolutionem amplitudinisque & felicitatis vicissitudinem habere

habere necesse est. Neque eò dementia devenio, ut factorum decreta casui tribuam, aut flumini receptis imbribus superbè decurrenti, & obvia quæque sternenti comparem; & quemadmodum vis ejus vallis & aggeribus coerceri potest: ita homines prudentia fati obistere posse, & flumina in apertis tantum campis valere, & fata virtute consilioque destitutos tantum populos urgere. Sed harum extremitatum mediam & Regiam amplector viam, permissionem divinam. Cum enim Divini judicii hæc sit summa, ut aut puniat, aut castiget, aut remuneret, sub quibus anxius mortalium timor, aut misericordiam implorantium fiducia, & aut ad justam, aut injustam spem erecti animi continentur: in prioribus duobus permittit DEUS, ut pessimi quandoque insultent iis, quos Divina Nemesis aut puniendos tradidit, aut sub afflictionum incudem probè probandos, suos etiam dilectissimos castigandos decrevit. Omnis victoria à DEO est, sed diversissimo respectu. Victorias contra populum suum electum DEUS largitus est, Assyriis, Babylois, gentibusque non nisi vitis notis; Turcas & Tartaros Ecclesie suæ tamdiu immisit, donec aut vindex Justitiæ Divinæ gladius defævit, aut castigatrix virga suorum poenitentia cohibita. Quis vero infidelibus aut pietatem aut amorem DEI inde tribuet? certè flagella divina tandem urentur igne incombustibili; & connivens longanimitas Divina tarditatem poenæ atrocitate severissima compensabit. Sed ne extra oleas vager, & in Theologorum messem falcem immittam meam, hoc saltem assero: non magis laudem sua prædestinatione merebitur, quàm si quis politicus ex eventu judicium ferre, exindeque animum & causæ Justitiæ collisorem inter se principum & populorum æstimare velit. Dum enim fata peccant, hominum consilia excidunt, & manum injectantibus iisdem solent hebetari sensus hominum & obtundi.

*Exitus acta probat, careat successibus opto*

*Quisquis ab eventu facta notanda putat.*

Ad §. 5.

Non satis capio quid hinc sibi velit autor & de quanam conjunctione loquatur. Jamdudum tres illæ nationes, Angli, Scoti, Hyberni,

berni, sub Jacobo I. in unum corpus & Regnum placida conspiratione coaluerant; Omnisque rancor & simultas, pacis studio, iustis sub Regibus subsederat, sincerusque gentium affectus & animorum tranquillitas refloruerat. Et nisi à pacis turbatoribus (classicum Anglis canentibus) ad arma perventum esset, longa & incorrupta procul dubio felicitas mansisset. Turbatores autem pacis ab autore dicuntur illi, ut conjicio, qui contra juramenti vim sibi eripsum & obtruncatum Regem dolebant, agrèque in impotentem & Rempubl. ad se trahentium dominatum consentiebant. Hos tumultuantes forte constanti paci cum restituisse Autor gloriatur, sed proh! cum jactura libertatis Anglicæ & Scoticæ; in Hyberniâ autem cum excisione penè gentis totius. Cùm enim sentiret dolorem amissi Regis, & odium sui tam altè in sedisse genti, ut nullis suis delinimentis caperentur; sed arma in furorem & iram in desperationem versa: extremum & violentissimum dominationis suæ remoram removendi adiit consilium, & solum in solitudinem, & viduos possessoribus suis agros reddidit. Tam pertinaciter enim in omni ope destitutos pugnatum, ut, postquam aliquoties acriter se defendendo succubere, tanquam publicæ iræ Anglicanæ victimæ impunè mactati fuerint; nec sexus nec generis prærogativa eximebat quemquam, usque dum desæviente paululum irâ, quod reliquum gentis erat, quasi sub hasta prostraret, pars in novam Angliam (insulas Barbados vocant) ad servitia rustica transfret, pars Hispanis (cum quibus tunc optimè conveniebat) in militiam addicta, reliquis miserrimo jure emigrandi concessio. odium pro viatico plusquam Vatinianum indulgeretur; & quos latebræ aut sua egestas texerat, tandem novis coloniis ex Anglia traductis in servitia cederent. Feuda nobiliora fisco applicata, reliqua iis, qui aut delictorum complices lucellum ex injustissimo servitio sperabant, aut emendis tandem qui privatim egeni & degeneres ex publica clade spes suas metiebantur omnes, concessa. Hac illa egregia pacis publicæ restitutio. Profectò non placent chirurgi, quibus nulla in curandis morbis, quam amputandorum potissimum corporis artuum suppetit cura. Et verum est: venit, vidit, vicit, Sed & hoc adde, gentem excidit, Libertatem pessundedit.

Ad §. VI.

Duo continet membra I. Restaurationem Religionis. Nalam rem abusui magis esse subjectam, quam Religionem, plusquam notissimum. Sive enim populos subjugandi, sive in obsequio continendi, sive nova regna invadendi quosdam incessat libido, sanctum in religionem ardorem sapissimè prætexunt tam speciosè, ut vel oculatissimis imponant & plerumque ferro indomiti religioni succumbant. E thesauris itaque politicis & hoc arcanum telum, consecutus Protectorium Regni, promisit. Quamvis notorium, libertinorum vel independentium, invidioso simul & ambitioso nomine sic dictorum (cum tota Anglia in tres hæreses famosiores esset, divisa, independentium, presbyterianorum, & qui Regi Carolo Stuardo maxime studebant, inter hos mediorum) sectæ vel hæresidum privatus esset, eum fuisse adductum, nullique religioni nomen palam dedisse: sed læpius raptus, instinctus spiritus somniando, & prout tunc ferebat seculum, quidquid statui suo conveniebat, credendo suis servasse cupiditatibus: Imò hac occasione sæpius ad populum habere conciones, eloquentiæ laudem sectari, invehi in regnantium vitia, auram popularem captare, jamdum inter tegumenta ambitionis repoluisse. Cumque infra dignitatem esse duceret, cæco Sacerdotum ductu regi, cum omnia elimata cedant prudentiæ, vulgi fidei se implicari minime est passus, sed singulare quiddam sibi semper effinxit. Postquam autem per fas perque nefas Protectorium adeptus alius jam videri voluit, & ex dictis tribus hæresibus unam conflare satagit: cumque nihil conatibus suis favere magis, quam prædestinationem, ex eaque flagitii cuiusvis facile patrocinium conquiri posse persuasus esset: totis tandem connisus viribus eam, quam nunquam credidit, fidem aliis obtrudere allaboravit, & metu immisso insignem inchoavit potius quam confecit reformationem. Quamvis & mihi persuasissimum, nullam unquam reformationem optasse, sed hoc medio ad eludendos Parlamenti conatus, callidissimè usum. Vigore enim instrumenti Protectorii tribus quibusque annis 400. ex tribus nationibus personis constans Parlamentum convocare fas erat, nec ultra

5. menses deliberationes prorogare licitum. Primam ergò consultationis partem, religionem, utpote causà potiorem, & antequàm ea decisa, quicquam nisi materiam tributorum (quæ nullam procrastinationem reciperet) in deliberationem deducere, piaculum fore constituit. Inde factum, ut tot dissentientium de religione, inveteratâ in primis apud Anglos credendi, quod libebat, licentiâ, diversitate, nunquam de pòmo hoc Eridis inter se placidè convenire potuerint. Tempus inde futilibus altercationibus extractum tandem omne præterlapsum est: regni curæ verò (quæ eas prius tractare, quàm de religione conveniret prohibitum) intermissæ, & increpiti à Protectore ipsi, tanquam DEI causam languidè tractarent, omnem deliberationem frustra esse cognoverunt. Interim ipse jura Majestatica liberrimè exercens, & jus sacrorum ad se rapiens, liberis Britannis scilicet dominabatur plus quàm absolutissimè. Et hæc est tantis elogiis decantata religionis vel licentiæ potius restitutio.

Secundum membrum enormes de Aristocratico Britannæ statu & restaurata libertate continet hyperbolas. Miror profectò quod tam seriò tantas nugas agat autor. Aut enim legibus status fuit Aristocraticus, aut administratione. Si dicit legibus, videat æquioribus quæso oculis instrumentum Protectorium, cujus contenta eo sine sub calceem annexi curavi. Jus belli & pacis, jus fœderum, jus legum ferendarum, titulos & dignitates conferendi jus, eligendi pro lubitu consiliarios statûs, quorum vita & honor in unius solum manu situs, personam ipsam sacrosanctam & inviolabilem esse, & Majestatis reum peragi, qui vel contra eum murrare ausus fuerit, jus collectarû ordinariarum (de extraordinariis sibi speciem libertatis quandam reservavit, sed umbram tantum, quippe, qui jus belli ac pacis habet, procul dubio & ei connexa tributa habebit) quid aliud quàm statum Monarchicum arguunt. Verè assero, nullam gentem licentiosius dominium in ullum Regem transtulisse; minori nimirum veritatis cum dispendio, quod olim dictum dici potest, populum Anglicanum ei & in eum omne jus & potestatem transtulisse. O rustica simplicitas! ubinam quæso vestri sunt Aristi & Optimates? qui

nam

nam votum in comitiis efficax aut restringendi aut cohibendi potestatem Protectoriam habent? nonne universos gladius Protectoris sub prætextu Regiæ factionis confecit? Commiseratione digni profectò qui tam strenuè libertatem & Aristocratiam somniant, cum ne gry quidem Majestatis illis sit reliquum. Et vel politicorum Argum adducite & consulite, an unquam talibus constrictum legibus viderit statum Aristocraticum, vel unquam gens tali sub dominatu de libertate perfectissima gloriata fuerit quisquam. Verum pluries videmus legibus quidem designari statum Monarchicum, Optimatum tamen potentia ita inhiberi, ut revera sit ipsa administratione Aristocraticus. Sed huic contradicit autor §. 8. Et utut non contradiceret, testantur historiæ non solum severissimum & strictissimum executorem, eorum quæ L. L. attributa, fuisse; verum etiam, quæ legibus denegata, ad consummationem rapuisse Majestatis. Nonne Parlamenti primo conatu sub specie juris eluso, triennium lucratus, sublatis quos dominandi cupidini maximè obsistere putabat, atrocissimis inquisitionibus, tanquam Majestatis reis, aut regiæ factionis & novo indicto Parlamento in locum demortuorum, quos aut beneficiis, aut immanibus delictis implicitos, obnoxiosque tenebat, aut egestas venales reddiderat, substitutis, omnes exterruit, Inde confidentior factus, curiam, fora, templa, totam urbem tristibus cingere armis, & si quos Reipubl. cura invaderet, tanquam mancipia suæ libidinis circumagere & tandem, si è re visum, omninò è medio tollere cepit. Ullumnè Senatusconsultum, quod aut potestatem ejus constringeret, aut licentiam involandi in leges cohiberet, aut de libertate maullaret promulgatum? Nonne pro filio contra expressum Protectorium successionem extorsit? Et tandem ullumne Parlamentum, statò tempore convocatum, vi plusquam Regia non dissolutum, dissipatum, intraque carceres justì metus coërcitum? Nonne omnis de regni statu consultatio & medela irrita fuit. Nonnè quæ pio justoque Regi objiciebatis, crudelitas in Hybernos & quod Parlamentum aliquoties dissolverit, inter potissima erant crimina? Quis magis quam vester hic Protector in miseram gentem cruentas immisit manus? Quis sæpius conscriptos Patres omnemque pro salute publica consultationem majori & audacia & vi dissi-

vi dissipavit, quàm vester hic regni tutor? Cur ergo quod iusto in Rege capite luendum iudicabatis, jam sub dominatu, elogiis exquisitissimis extollitis? O abjectissimæ adulationis indicium, & plusquam Stoica servitutis patientia. Quare nec legibus nec administratione vester status fuit Aristocraticus, sed absolutissimus hætenus Dominatus. Sed fortè vos suavissimum Protectoris nomen intimius titillavit, & vel clitellas sub tutore cum anhelitu gestare, quàm sub fastidioso Rege, in pace quiescere tolerabilis visum. Nimis hæ dominantium artes jam patuere, & licet virus suum byssinis implicant involucris, emunctioris tamen naris politicis ubique subolet, & pellucet ærugo. Obsoletæ sanè & lippis & tonsoribus notæ hæ sunt imposturæ, quibus ne supersticiosam animum amplius decipient. Verum de hoc inferius.

Reliquum hujus §. restitutam pacem ad nauseam usque ogannit. Non inficias ibo, aliquo modo restauratam, sed lubricam, cruentam, cum jactura libertatis, nec denego quietem; Sed illis tantum, quibus natura desiderium liberæ mentis denegavit, quibus inter summæ felicitatis articulos constitutum, si licentia conscientie abuti, corpus sine metu militis epulis infarcire, genio indulgere, & tandem qui tam crassum servitutis callum obduxere, ut se ad vim usque radi non sentiant, gemiscentibus plerisque, quibus

*De meliore luto finxit præcordia Titan;*

Sed licetore legum necessitate intra obedientiæ terminos cohibitis.

Ad §. VII.

Conjugii felicitas, uxore nempe ad omnes casus versatili ingenio, non neganda. Filios tamen orbi nec vitio nec virtute celebres non novi; nec in pugna sententiarum, fortes creari fortibus, & heroum filios noxas, eligere, quid de liberis ejus iudicem, est integrum. De affinitatibus nil mirum, cum charissimus, qui præcipua utilitate potentiam alat, & ex pulcherrimæ censeantur quæcunque regnum stabiliunt. Cromwellius ergo cum viderit, vim suam  
favori

favori exercitus inniti, eos maximè quos singulari autoritate apud milites polleſcere novit, demereri ſategit; hinc affinitates utilitate metiens hos maximè implicabat, in quorum fide ſuam ſalutem ſitam conjiciebat.

#### Ad §. VIII.

Ita natura comparatum eſt, ſi quis luxuriantis fortunæ blanditiis, è communi plebis ſorte exemptus, in ſublimi conſtituitur, ut reliqui mortales tanquàm cæcutientes non tantum virtutes ſuſpiciant, ſed & varios affectuum ætus & reciprocationes, imò quandoque vitia ipſa ſplendore externo perſtricti, tam impotenter admirentur; ut quicquid aut neceſſitas expreſſit, aut virium imbecillitas commiſit, aut affectuum turbine acti patrarunt turpius, non niſi à profunda impenetrabili & cujus effectus non niſi aliquot elapſis ſeculis orbi tremendus pateat, prudentia proſectum ſibi perſvadeant. Commiſeratione digni, niſi & contumaciam adderent, & ſi quis mentis indagine in hoc ſanctum ſanctorum politicum penetrare, cortinamque ſplendoris remove, glaucomata à re ſeparare & penitus errores luſtrare conetur, piaculum haberent. Neminem fore puto, qui non ambabus largiatur manibus, corpus ſtatura egregium, laboribus aptum, impreſſiſſeque naturam vultui (licet truculentiori) ſigna quædam terrori juxta & Majeſtati apta. Exertum, verſatile, & extemporaneum ingenium ut neque vaſtriciem & calliditatem in conſiliis, nec præſentiam animi in periculis, nec utriusque fortunæ æqvabilem animi tolerantiam facile deſideres. Fortitudo bellica, affabilitas, comitas, & ſi quæ, antequam imperaret, virtutes minorum gentium involucra fuère, quibus flagrantiffimam dominandi cupidinem textit. Illaque ipſa fuere tegmina, quibus cum captura bonæ mentis, dona corporis & animæ prodigè in ipſum collata admirantes, & libertatis oblitos, ſub veriſſimo dominatu, veterno Britannos ſuos conſopivit. In reliquis quæ aduſando conquiſivit autor, perfectiorem agit oratorem, quàm veritatis enucleatorem. Tantum enim abeſt, ut illis imponi mihi patiar, ut per totum contextum (excepta ingenii felicitate, quæ tamen non miraculoſa, ſæpius enim fortunâ pro ſapientiâ uſus, & quæ caſus obrulit

obtulit, in prudentiam detorsit, sed supra communem saltem sortem)
 contrarium asserere non erubescam. Quare enim qui nihil unquam nisi quod statui ancillaretur suo, credidit, defensor veritatis
 Divinæ audit? Cur trium nationum à cæde & tyrannide liberator
 qui maxime inter se commisit, unam excidit; regem capite truncavit,
 ut tutius tyrannidem ad se raperet. Quare contemptor
 gloriæ, superbiæ & arrogantia, qui parem neque consilio neque
 potentia unquam ferre potuit, sed contra omnes cum mille animarum
 interitu insurrexit? Quietus & temperatus animo, qui tot
 conspirationibus quotidiè petitus intra conclavia domus suæ tristibus
 cinctus armis, & noctu incertis cubilibus metu vinculus, vel torture
 conscientia agitatus nusquam tutus, nusquam securus, nedum
 quietus esse potuit? Cur reliquos principes ambitionis arguit,
 qui plusquam sui seculi quisquam cum ruina patriæ libertatis
 foedissimæ arrogantia servit? Cur sine ira, odio (quid nisi sine
 omni humano affectu) semiDeus, qui tot cædibus illustrium familiarum,
 ut solus rerum potiretur, manus conspurcavit, qui tantæ
 pervicacia reos semper quæsit, supplices ut haberet?

Ad §. IX.

Ostentatio in verbis meris est, nec satis capio quid sit senes &
 juvenes ad sepulturam comitari, & tamen in vita benè constitutos reliquisse.

Ad §. X.

Continet in principio crambem toties coctam & recoctam, quæ tædet tangere.
 Quod in calce adjecit de liberalitate in mutuos milites; me hercule non miror,
 si quis iis, quorum opem totum consecutus regnum, de alieno aliquid in gratitudinis
 tesseram erogat, exindeque benevolentia laudem capteret. Taceo
 propemodum in ejus non situm fuisse manu, sustentare nec ne:
 cum nimirum, ingentia regna illicitis artibus quæsitæ, magna animanda
 sint mente, multis tuenda manibus, favorem militum cynosuram
 actionum suarum semper constituit Cromvelliis, cum
 auctis

audis stipendiis ut vix ampliora sperare possent, quasi per otium militiam exercerent, adeò devinctos semper sibi habuit, ut nullum unquam pro stabilienda Protectoris potentia laborem detrectarent. Cui tandem colophonis loco adjecit, ut aut casu mutili aut senio & laboribus fessi, tandem tranquillam, publicis alicui sumptibus, senectam transigerent. Quod vero de proprio largiri videatur, callidè gratiam Reipubl. debitam, præscindens in se derivat.

### Ad §. XI.

Eo tempore regni gubernaculum, cum nemo ad Reipubl. clavum sederit, cepisse magnis evehi verbis. Sed hoc cene laudas mi Autor? putabam statum vestrum esse Aristocraticum, populum plenaria libertate frui. Sed in statum Optimatum aut populari unus isque solus ad clavum Reipubl. sedet, proque lubitu affectuum turbine ipse circumgyratus eam circumagat? Audivi hæc Monarchici Status esse signa infallibilia; facile verò concessero, neminem Cromwellio mutandi inque se transferendi regni capaciorum fuisse; mantissæ tamen loco paucissimis explicatum dabo, quibus artibus ad tantum fastigium ascenderit.

Humanis rebus flebili casu exempto Angliæ Rege tristis ubique rerum facies: odiis, livore, æmulatione, religionis diffidiis tota conflagravit Britannia. Exacerbati enim Scoti, Regiam filium & ipsi in Regem elegerant, & constanti obedientia traditionem incruentis manus Protectoris expiaturi, arma palam induerant; Hybernis metu religionis, partibus regiis pro virili summa pertinacia inhaerentibus, Anglos tanquam communes hostes ambo infestabant, Anglia ipsa diversis scissa religionibus, independentium, quorum caput Cromwellius, presbyterianorum, quorum præcipuus Horrisonius, & veterum reformatorum, qui regis factioni non iniqui in totidem partes regnum ipsum distractum videbatur. Vulgus, plebs, statusque popularis fremebat & ereptum sibi post Regem sessionem & votum in comitiis, (inferior enim curia, quæ ex tribus potissimum constabat, omninò erat sublata) omnia ad  
C  
pro-

procerum nutum retrahi, ferebant ægerrimè. Proceres ipsi quos splendor familiæ illustriores reddiderat, novis hominibus bellica laude & armorum ferocia cursim ascendentibus invidebant, lividis, quæ oculis, prout quisquæ partem Reipubl. avidè ad se rapiebat, sese invicem respiciebant. Parlamentum, & quibus publicæ rei cura mandata, ab eo delegati, mutuo dissensu fessi, oscitanter, negligenter, & plerumquæ avarè res suas tractabant, & cunctatione (cum nunquam inter se convenire satis possent) optimas sæpè rerum benè gerendarum occasiones præterlabi patiebantur. Inde tædio præsentium & spe futuri quosdam, plerosquæ antiquitate generis & titulorum prærogativa claros veterum otiorum & regiminis inanis desiderium, eoquæ cum Scotiæ Rege clandestinæ conspirationes, mox manifestæ defectiones, & in regias partes potissimum regni procerum transitiones secutæ sunt. Quibus fomentis tanta Anglici belli civilis exarsit flamma, quæ tota fermè depasta & infelici tandem seu ducum imperitia, seu partium inconstantia fugato regio dissipatoquæ exercitu, qui Regi nomen dedere, ad extremum succubere. Durantibus hisce per quinquennium bellis civilibus, tantam prudentiæ militarisquæ fortitudinis laudem apud omnes consecutus Cromwellius, ut nemo non omnium partium victoriarum gloriam facile in dexteritatem ejus reponeret. Confecto itaque bello immane quantum in proceres Regni, quos regis partibus implicitos fuisse vel suspicabatur, vel quos conatibus suis sufflamen injecturos metuebat, sævitum. Splendor generis, nobilitas, opes, omni gestiquæ honores sæpè pro crimine, & pluries ob virtutem & fortitudinem, certissimum exitium. Cumquæ ex proscriptorum & punitorum bonis exercitum stipendiis largissimis, statò tempore ritè procedentibus, ditasset, & ad quævis obnoxios fidosquæ fore consideret: aggressus tectius primo tot annis volutatum, & tot animis constantem Britannia dominatum. Hinc palam quidem compositus pudor, intus tamen summa adipiscendi libido, ejusquæ causa modo largitio in milites, sæpius fortitudo industria & vigilantia, haud minus noxiæ, quoties parando regno finguntur. Deinde manifestò; & vacuam, ex auctoris sententia, revera nauclero (sed quem ipse removerat) navem invenit; cum, fero-

ferocissimi per acies, inquisitione atrocissima aut proseriptione ce-  
 cidissent: Ceteri nobilium quantum quis servitio promptior, opibus  
 & honoribus elatus, & novis ex rebus auctus tuta & presentia,  
 quam vetera & periculosa sequebatur. Connivente insuper po-  
 pulo, suspecto nimirum ob certamina potentium senatus imperio,  
 & invalido legum auxilio, quae vi, ambitu, postremo pecunia & cor-  
 ruptelis turbabantur. Prævisis hisce omnibus & disposito rerum  
 ordine, quae casus obtulit, in sapientiam avidè convertit, nec fortu-  
 nae praebenti sese defuit; sed prompto ad extremum, ad minimum  
 duodecim millium, & ex nutu vivente exercitu, Londinum De-  
 cembri mense anni 1653. ingressus, curiam milite cingendo tantum,  
 tamque Panicum immisit terrorem, ut Horrisonium cum quibus-  
 dam affectis variis nominibus sibi suspectos, è Parlamenti numero  
 & consultatione vi armata impunè removerit, aliosque statim tri-  
 bunos & notae ferociae belli duces pro lubitu substituerit. Ita  
 ordinato ex favoribus & beneficiis & delictis obnoxiiis Parlamento,  
 Protectorium refragante nullo extorsit. Qua plus quam Regia  
 pompa in palatium deductus, cuncta discordiis fessa sub svavi Prote-  
 ctoris nomine in Imperium accepit; Sacramentoque, (quod illi in-  
 promptu, regiam quippe potestatem transferente) capita dicti Pro-  
 tectorii confirmavit. Quo facto continuò regni senatum, nul-  
 li in posterum translata in se omni potestate usui futurum dissolvit,  
 eorumque conventum in Septembrem anni sequentis differt.  
 Quo temporis spatio regis partibus ad internecionem deletis, & iis,  
 quibus recens hæc potentia invisæ, & consilium ex re meditabantur,  
 vario obtentu aut sublatis aut metu consternatis, accedente fidissi-  
 mo exercitus obsequio, tam firma jecit Dominatus sui fundamen-  
 ta; Parliamentorum ausus ut postmodum semper pro lubitu eluse-  
 rit, & quovis Rege licentiosius imperarit. Constitutus ita in  
 hoc fastigio tanquam ex specula circumjacentium regnorum despi-  
 ciebat affectus. Quodque noviter subjugatorum & recenti jugo  
 nondum satis assvetorum varias animorum revolutiones & spei me-  
 tusque æstus, intra obsequii carceres contineret, anxius attineba-  
 tur. A primo, mortalium iniquioribus oculis sese respicientium,  
 livor & invidia securiorem reddidit. Tam infestum enim sibi

in vicem humanum genus, ut nullum periculo, nisi infestantem  
invidia prosequatur, eripiat. Nec ipsius iustitiæ & æquitatis cau-  
sa tam valens, ut quemquam ad supplicias oppresso ferendas adi-  
gat, eque calamitosorum sorte eximat, nisi invadentem comitetur.  
Livore, aut in partem prædæ simul assumatur. Cerrè nullum  
factum amplius tam dirum esse, ut ex atrocitatis suæ natura quen-  
quam mortalium ad vindictam publico odio hominum exponat, ,  
historiæ testantur recentiores; Audacior inde factus, quòd non so-  
lùm reges, quorum tamen nomen tantâ truculentia profanarat,  
in iram non exarsisse, sed insuper ad fœdera & amicitias, utilitati  
& æmulationi maxima flagitia condonantes, ultrò properasse, vi-  
derit. Exterorum cura & formidine liber, eò applicuit solici-  
tudinem, quo à subditis securus, nondum omnibus numeris absolu-  
ta Dominatus fundamenta stabiliret. Et cum experientia  
edoctus, non recte sese gerere homines, nisi aliqua necessitate  
cogantur, perpetuo milite sibi opus esse persuadens, quomodo sine  
tædio Britonibus suis obruderet, omnes intendit nervos. Cui  
convenientius medium non repperit, quàm bellum externum. Fo-  
re enim sibi blandigbatur, ut non solum formidine exterorum ad  
tolerantiam tributorum patientiores fierent; verum etiam quorum  
animus fastu & ferocia inflatus esset, campum virtutis extra pa-  
triam haberent. Aut denique ut protervis, legum impatienti-  
bus, otiosis, turbidis, tanquam fæce & purgamentis Respubl. purga-  
retur. E quò fonte (quicquid causarum undique conquiratur,  
quas inter principia, occasiones, prætextus, colloco) bellum cum  
fœderato Belgio promanavit. Transversim enim contorto qua-  
si oculo dudum Angli in Belgii commercia introspexerant, æmuli-  
que in dominio maris extiterant: qua occasione arrepta haud in-  
vitos, cum Belgis suos Britones commisit. Cumque non satis  
ex voto manifesta procederent, & metus subesset, ne religione eâ-  
dem imbuti & libertatis specie ambo lætati, suavi conspiratione  
consilia confociarent, gloriosa pace transiit. Deinde Gallia,  
à qua ob viciniam & trucidati Regis affinitatem maximus metus, fœ-  
deribus & amicitias quacunque conditione connexis arma in Hispa-  
num, nil tale promeritum, spe lucri & aureos montes (sed in altero  
orbe sitos) Britonibus suis ostentando, non citra temerata fidei no-  
tam,

tam, commōvit. Interim, si nihil aliud, arma tamen victricia  
 foris, domi (si conspirationes earumque severissimas vindicationes,  
 quæ inter prospera connumerabantur, excipias) pacatum utcumq; ob-  
 tinuit regimen. Licet & seridè, ut magis subditorum animos demere-  
 retur, infidias Belgii commerciis usque ad extremum vitæ anhelitum  
 struxisse, mihi persuadeam. Capta enim Dünkirka, Mardico & Gra-  
 velinga portubus Flandriæ commodissimis; quid aliud in compen-  
 sationem tot immensorum sumptuum lucri sperare poterat; quàm  
 ut Belgas, ex adverso nempe sito portu Duverensi, in illa maris angu-  
 stia à freti Herculei commerciis quando lubitum fuerit: Simili an-  
 gustia inter Galetensem & Thamesis & reliquorum portuum com-  
 moditate fœderatus cum Gallis arcere ab Indiæ utriusque mercimo-  
 nio; & tandem Sveciæ strictissimo nexu conjunctus; à maris Baltici  
 commodis, commodè excludere possit. Lyncei igitur jam sine  
 fœderati Belgii excubitores, & principiis hisce noxiis in tempore o-  
 portuna opponant remedia, nisi justè olim, sed serò nimis dolere  
 malint. Hæc quæ hætenus memorata, non solum populo  
 in servitio continendo, verùm etiam fines dilatandi, & dominium  
 maris ad se rapiendi dubio procul fuere consilia. Sed ut radii  
 horarum indices, quot rotis & ponderibus aguntur in destinatos cur-  
 sus, tot aberrantibus instrumentis mendaci monstracione fallunt;  
 ita si ex infinitis rebus, quæ subtilia componunt ingenia, una se sub-  
 trahat conditio, fallere totum necesse est. Et ut verum fatear, cru-  
 dis hisce & immaturis consiliis, mihi infelici tempore subtractus fa-  
 torum vi videtur Cromwellius, ut de tanta anxietate præmeditato-  
 rum consiliorum felici effectu non immerito subdubitem. Verum  
 nimis à scopo dilapsus sum; hoc unicum addo. Si Julii Cæsaris vio-  
 lenta invasio & justum discrepantis Reipubl. remedium, unius est  
 dominatus; si Augusti severissima proscriptio & agrorum divisio,  
 quæ nec ipsis, qui fecere, laudatæ injuriis caruit: Si Tyberii, Sena-  
 tus, nobilitatis, & propemodum virtutis ipsius (quæ pro crimine erat)  
 extirpatio, delationes, accusationes optimorum, & pro libertate con-  
 spirationum, ultio crudelissima excusabilia; Si Claudii, si Neronis  
 immanitas, in eos, quos vitiorum statusque sui osores noverant, re-  
 prehensione caret; tuum & ego Cromwellium supplex venerabor.  
 Summa enim facinora suscipit cum periculo, peregit cum præmio;

& Julio Cæsari uti gloria belli, regni invasione, agilitate ingenii, ita reliquis simulatione & dissimulatione & truculenta conservatione non immerito comparandus.

Ad §. XII.

Rarissimæ felicitati annumerandum quod inter tot odia, invidias, livores, rancores gentium, tot subtilissimas pariter ac atrocissimas conspirationes, omnibus orbis Magnatibus (licet aliud simularint) invisus, incolumis ad seram senectutem ascenderit. Cum mille exempla Regum etiam bello & fortitudine invidiorum, qui menti irâ percitæ, & extrema desperatione efferatæ tandem succubere, adhuc obversentur oculis: Et

*sine cade & sanguine pauci*

*Descendant Reges & sicca morte Tyranni.*

Verum mi Autor, quid quæso insignia illa Regia, gladius, Corona, sceptrum, thorus regalis, quibus vita functus plusquam Regiè splenduit, indicant! nonne hisce ipsis Libertatem Britannia in triumphum deduxit? Nonne Parlamentum vestrum, umbram heu olim licentiæ, quod toties quoties lubitum fuit, convocavit, increpuit, dissolvit, decreta consultationesque irritas reddidit, ad genua devolutum vidisti? Nonne ad plantas pedum vestri Protectoris libertatem vestram sub gladii, coronæ & sceptri pondere miserè gemiscentem, & anxie se subtrahere sed frustra, molientem, subjectam deprehendisti? Nonne miseram illam flebili cum ejulatu, quo etiam sandapilarii (exercitus Anglicanus) fere ipsi moti, cum Tutore suo à quo impunè per totam vitam pedibus conculcata, jam in morte tanquam splendidissimum trophæum, una illicet contumulari & eadem urnâ condi vidisti.

Miseret me profecto tui, si svavi Protectoris nomine delinitus, libertatem & statum Aristocraticum, servitutem serviendo absolutissimam, credidisti tam strenuè, & aliis persuadere allaborasti tam audacter. Sin forte, quod conjicio, Cromwellij, è tenui re benevolentia aurâ sublevatus, aliud redhostimentum & grati animi tesseram, quam fœdam adulationem non habuisti; vel ideò laudasti, quia favore te prosecutus, & laudem inde captas, cum tantus semiDeus non nisi communem hominum sortem transcendentem amore suo dignum, judicasse videatur, condono; vel ab nimiam in hoc genere delicti, peccantium multitudinem, ne omnibus succensere necesse habeam.

CON.

F I N I S.

# CONTENTA

## INSTRUMENTI PROTECTORII

Anno M DC LIII 16. Decembr.

Londini publicati:

1. OLIVIERIUS CROMVELLIUS, Exercitus Dux, sit Protector Britannia.
2. Eligat sibi aliquot Consiliarios, quorum numerus non minor 12, nec viginti & unum excedat.
3. Consilarii in omnibus negotiis bona consilia subministrant.
4. Tribus quibusque annis Parliamentum convocabitur, quorum primum instante Septembri initium habeto.
5. Idem numerus in Parlamento conveniat, de quo nupero Parlamento conventum, quiq; matriculae insertus est, nempe 400.
6. Nullum Parliamentum ultra quinque menses deliberationes continuabit.
7. Quaecumque acta aut Decreta ita constitutum Parliamentum conficiet, illa, si prius a Domino Protectore & maiore parte ejus Consiliariorum approbata fuerint, vim legis habebunt, sin minus, decreta illa in proximum Parliamentum differentur.
8. Si proximum illud Parliamentum, illa acta & decreta approbaverit, vim legum tum habento.
9. Si Parliamentum consultationes ultra quinque menses prorahere audeat, illud Domino Protectori dissolvendi & rumpendi jus esto.

10. Reliqui qui sunt Regni reditus, ad Domini Protectoris sustentationem impendantor.
11. Si Dominus Protector in vivis esse desierit, maxima parte ejus Consiliariorum alium eligendi jus esto.
12. Post obitum Domini Generalis Cromwellii, nemo sequentium Dominorum Protectorum simul Generalis exercitus Dux esto.
13. Nullus eligatur cujus Pater Protector fuerit.
14. Jus belli ac pacis in Protectoris manu situm esto, quod autem media belli gerendi, nempe tributa ad bellum attinet, sine consensu Parlamenti populo non imponat.
15. Vocem negativam Protector in Senatu habeto.
16. Quodlibet Parlamentum septem Senatores in Senatu removendi & septem alios substituendi potestatem habeto.
17. Omnia acta, quae hactenus sub nomine custodum Libertatis Anglicanae emanarunt, in posterum sub Protectoris nomine publicentur.
18. Proditionis & Majestatis laesae reus habeatur, quicumque praesenti Regimini obloqui ausus fuerit.
19. Omnia bona in fiscum redacta & redigenda publicataque bona cedant in Domini Protectoris sustentationem.
20. Omnia Parliamentorum praeteritorum acta & decreta alienationem feudorum & ditionum concernentia, in suo vigore manento, Possessorque quiete possideat.
21. Titulos honoris & dignitatis conferendi Domino Protectori esto.
22. Dominus Protector, tempore intermedio inter Parliamentorum conventus, omnia negotia Nationum, cum auxilio suorum Consiliariorum ordinandi & disponendi, potestatem habeto.

*Brevis*

*Brevis Delineatio Vitæ & Mortis*  
**OLIVIERII CROMVELLII**

PROTECTORIS Britannia, Scotiæ & Hy-  
bernia, &c.

*Londini Anglico Idiomate conscripta & jam  
Latine donata Anno 1658.*

1. Riginem traxit e Nobilissima Walliamsoniorum  
familiâ, qui tempore Henrici VIII. Cromwellii appellari  
incepère, locusque natalis ejus fuit Huntigtonia, in Co-  
mitatu Wallia Glamargon.

2. In Academia Cantabrigiensi tyrocinium studiorum cum  
posuisset, altiori negotiorum studio ut cresceret, Lincolnhusiã se con-  
tulit, ubi experimentis potiùs quàm umbraticâ doctrinâ ad prudentiã  
proficeret. Quare non multum operæ dedit studio juris, ut qui in li-  
bris consensescere contemneret; Reipubl. gerendæ unicè natus: ar-  
tium tamen liberalium cognitione mediocriter instructus erat:

3. Summa in eo librorum notitia, perfectissimus ipse animo-  
rum explorator: sic tamen, ut & suum ipse, & ingens illud rerum ci-  
viliùm studium callidissimè tegetet, non erupturum priùs, quàm cum  
offerente se occasione, quid posset, qualisque futurus in expeditio-  
nibus bellicis probandum esset. Ipse verò temporum fatalium turbo  
implicuit eum bello patriæ civili. plusquàm beluinâ feritate gesto, in quo  
Parlamenti partes cum placere semel cœpissent, constantissimè ad finè  
usque tutatus est; Religionis, jurium Patriæ, Privilegiorumque Parla-  
mentis competentium per omnem ætatem defensor, quippe qui non  
tantùm providus, exsomens & vigilans, sed & strenuam manum ipse  
commodare didicisset.

4. Ineunte bello uni equitum turmæ præfectus, quam studio  
& amore in Rempubl. privatis sumptibus conscripserat, virtutis dein  
tanta specimina edidit, ut maximo ausu decernens, gradatim hono-  
res assecutus, cætera præmia suæ virtuti inveniret parata, brevi deni-  
que laude strenui, intrepidi, fortissimi atque experientissimi Ducis poti-

tus, omnium pene suorum admirationem in se concitaret. Paulo post à Parlamento omnibus exercitibus & rei militari summo cum imperio præpositus est. Intuitu admirandorum facinorum, quibus ipse jam in oculis omnium versabatur; neque enim his dissimilia sperabantur in posterum, quod & mox comprobavit eventus, cum deletis tumultibus Britannia, calamitatum quoque fontes ipsos potissimas Regni provincias prope per sexennium inundantes obstruxit. Hyberniam & Walliam Meridionalem sub potestatem Angliæ rediguit: profligato denique exercitu Ducis Hammeltonii: prostratâque Ecclesiarum armaturâ, Scotiam Regno adjecit, exercitumque Caroli Stuarti ibi novos motus cientem oppressit. Quas victorias si exiguo adeo temporis spatio partas quis fortunæ adscriperit, is providentiæ divinæ (quæ ipsius conatibus procul dubio comes fuit) multum detrudere videtur.

5. Nec silentio prætermittenda amicæ fœdera pacis, in quæ inter se incolæ & ordo equestris trium Regnorum eo autore eoque tempore cum minimè quisquam speraret, convenerunt, eo eventu, ut in hoc ipsum tempus subsistant firmissima; prorsus ut quod de se ipso Cæsar, id grata posteritas de Cromwellio prædicatura sit. Venit, vidit, vicit.

6. In restaurandis Ecclesiis proxima illi cura erat, ut rem Ecclesiasticam multorum inertium atque superstitiosorum sacerdotum administratione mirificè perturbatam & convulsam componeret. Sed horum omnium pene admirationem sustulerunt fundamenta pacis trium Regnorum firmissima, quibus sic stantibus sub Imperio Aristocratico omnia sunt pacata, ut quisque bonis suis sine factionibus, invidia, impetu, ac rapinis frui possit.

7. Uxorem duxit ex antiquissima Burchersiorum familia, quos olim Comites Effexiæ fuisse certum est, ex eâ suscepit duos filios omni virtute præditos. Quorum major natus omnium Richardus suffragiis in hunc verticem rerum humanarum admotus, Protectorque hodiè salutatur. Minor Henricus Hybernica Prorex, omni studio in salutem regni nititur: & quatuor filias, quas inter naturæ ornamenta numerare non dubito. Harum natus maxima nomine Brigitta Iretonio primùm Proregi Hybernica, eo defuncto postea Carolo Fleetwodo nupsit. Proxima illi Elisabetha nuperrimè defuncto

functo Claypolio matrimonio erat juncta. Mariam Falcobergius Vice Comes: minimam Robertus Richius Baronis Warwicensis (strepentibus armis Regiis & Parlamentariis Classis Ducis primarii) pronepos sibi sociarunt. Quorum omnium connubiis (adeo ei favit fortuna) ipse spectator interesse potuit.

8. Ad formam corporis quod attinet, vir erat justæ proceritatis, insigni facie, & exactissimâ membrorum structurâ præditus, generosus spiritus gerens, laboriosus, vigilans, & in imperando providentissimus, magnitudine animi tantâ, ut consiliis suis adhibere neminem dignaretur, ne in minutissimis quidem. Incomparabili prorsus vir ingenio maximèque tantis rebus pari, quantis ab ipso Deo efficiendis prædestinatum apparebat, ut scilicet conservaret Religionem, jura ac libertatem patriæ; in quibus omnibus experientissimum militem, modestissimū imperatorem defensoremque; divinæ veritatis acerrimū se præstitit. Trium Regnorum populos sanguinis profusioni, rapinis, tyrannidiq; subtraxit, ipsis pacem ac tranquillitatem firmissimè subsistentem concilians. E quibus omnibus elucescit, prædestinationē divinam eum ad istud munus subeundum delectum, quod negotium non minùs feliciter, quàm ab ambitu & æmulatione procul ex sententia gessit, nec parvus laborum ubicunq; esset, ita tamen ut sua menti semper constaret tranquillitas, nec in eâ unquam affectus judicium, obnubilarent. Neq; etiã unquam repertus est ambitioni, superbix aut fastui (solemnibus maximorum Principum vitiis) succubuisse, sed severus idem ac Comis, patiens, & affabilis omnibus extitit, nullius conditionem despiciens, præsertim in miseros pronus, adhibito semper judicio absq; ambitione & irâ.

9. Conjugem unicè amabat, quos ex eâ Dei benignitate suscepit, liberis patrem se præstitit fidelissimum, eumque affectum tam juvenis adhuc quam ætate provectior retinuit. Exemplum quoque raræ felicitatis, liberorum quorundam ac majorum quo pretiosius sepelirentur, interesse exequiis, argumento evidenti, Deum in eam familiam benedictionem suam effudisse uberrimè.

10. Superstitem familia augmentum & lumen habuit, ab ipso ingentibus honoribus evecta, neque minus extinctum probitatis ac studii in Rempubl. promptitudinisq; in miseros exemplum habebit posteritas rarissimum. Et quamquam nulla ædificiorum pyrami-

dumq; Monumenta reliquerit, benignitatis tamen ac liberalitatis in-  
mutilus ac labore & senio fessos milites & egenos utriusq; sextus ve-  
stigia adhuc extant egregia, quibus alendis annuatim 40000. Sterli-  
norum libras è suo patrimonio ac redditibus, quos ipsius dignitati con-  
servandæ tres illæ gentes constituerant, erogasse compertum est. Ita  
crimen effugit avaritiæ, neque tamen parsimoniæ in faciendis sumpti-  
bus, quoad hoc dignitas ac majestas admitteret, negligens.

11. Protector opportuno tempore Patriæ bono creabatur, eo  
ipso videlicet, quo nemo erat, qui ad clavum federet Reipubl. Neq;  
facile definias quisquamne tunc alius extiterit tantæ molis suscipien-  
dæ idoneus aut sufficiens, quam & summa cum fiducia suscepit, &  
incredibili gloriâ (etiam inimicorum confessione) sustinuit,

12. Molestissimum hoc regendi onus finito trium regnorum  
bello 16. Decembr. Anno 1653. in se suscepit: Exercitiæ & laboriosæ  
vitæ cursum sexagenario major consummavit 3 Septembris Anno  
1658. quo die prælio Dumbaracensî & Worcheffrensi antehac mira-  
culosis victoriis potitus erat. Voluit enim divina providentia eum  
diem, ut olim laboris longè plenissimum, ita nunc tranquillita-  
tis initium esse. Cum per quatuordecim dies levi primo tentatus fe-  
briculâ, quæ in ardentem dein degeneravit, placida morte extinctus  
est. Cadaver exenteratum, balsamoq; & odoribus suffertum Som-  
mertshusiam inde delatum est, Regaliq; thoro impositum usq; ad ex-  
sequias omnium oculis patuit.

*Ægyptus sileat Ptolomæos; Græcia Cyros;  
Et Ludovicos Gallia pulchra suos;  
Nos nostram justâ celebremus laude CRUMELLUM  
IN du PERATOREM, magnanimumq; DUCEM.*

Seu Verius.

*Trinacris Phalarim sî laudat Roma Neronem,  
Et fædum Pelopis Græcia docta genus:  
Vestrum orbis justâ celebrabit laude Crumellum,  
Uncti extinctorem, terribilemq; Ducem.*

F I N I S.